



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Dispvatio LXXIII. De materia remota hujus Sacramenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

mum absolute, Pœnitentiam verò iis qui post Baptismum sunt lapsi, esse ad salutem simpliciter necessariam; ordinem verò toti Ecclesie, reliqua autem solum ait esse necessaria secundum quid.

XIII. Nec obstat affinitas verborum illorum Joannis tertio, versu quinto: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*; hæc enim verba, ut constat, latius patent, & sic comprehendere etiam possunt parvos; illa verò, *Nisi manducaveritis*, &c. solum erant prolata ad adultos, sicque important præceptum, cujus capaces non sunt parvuli.

XIV. Solum noto ad confusionem vitandam, quæ in hac quæstione esse solet maxima, votum variis

modis sumi, primò latissimè, pro desiderio cuiuscumque rei, etiam non necessaria, quo sensu loquitur Tridentinum sessione decimâ tertiâ, capite octavo de iis qui per fidem & votum hujus Sacramenti spiritualiter communicant. Secundò strictius, pro desiderio & proposito saltem implicito rei alicujus obligantis, qualia sunt præcepta. Tertio strictissimè, pro eo quod substituitur tanquam vicarium alterius ad effectum alicuius conferendum, quem licet conferat, adhuc relinquit obligationem rem cujus hoc est vicarium, suscipiendi, quomodo se habet contritio in adultis respectu Baptismi, & Pœnitentiæ: & hoc solum sensu negamus Eucharistiæ votum esse ad salutem necessarium.

DISPUTATIO SEPTUAGESIMA TERTIA.

De Materia remota hujus Sacramenti.

E GIMVS in superioribus de materia permanente, & intrinsecè constituyente hoc Sacramentum, Corpore scilicet & Sanguine Christi, & aliis, ex quibus tanquam ex partibus constat, nunc itaque de materia illius transeunte tractandum, illâ nimirum, quæ in consecratione, seu primâ Eucharistiæ constitutione destruitur, circa quam plurima & scitu dignissima, ut hac Disputatione constabit, à Theologis proponi ac discuti quæstiones solent.

SECTIO PRIMA.

Quenam sit Materia remota Sacramenti Eucharistiæ.

I. *Fædos Gnosticorum hæc in re errores S. Thomas præmodestia noluit referre.*



T omittere fædos Gnosticorum hæc in parte errores, quibus affinis est turpe Manichæorum commentum, quos errores inquit Suarez hic, disp. quadragesimâ tertiâ, sectione primâ Sanctus Thomas recensere propter modestiam noluit. Tres alios hæc de re errores refert Sanctus Doctor hic, quæst. septuagesimâ quartâ, articulo primo. Primus error illorum est, qui in pane & caseo hoc Sacramentum conficiebant, quos etiam refert Sanctus Epiphanius hæresi quadragesimâ nonâ, & Sanctus Augustinus libro de hæresibus, capite vigesimo octavo, indeque dicti sunt *Artotyrisæ*, secundò *Cataphryges* sanguinem ex toto infantis alicujus corpore minutis punctationibus immaniter eliciebant, cumque farina miscentes panem inde conficiebant, quem postea ad Eucharistiæ consecrationem impiè usurpabant,

Tertius error à Sancto Thoma relatus erat circa materiam sanguinis; quidam siquidem sobrietatis prætextu aquâ loco vini, in hujus Sacramenti consecratione utebantur, inde dicti *Aquarii*. Hunc errorem præter alios quos refert Sanctus Isidorus, Sanctus Cyprianus, Sanctus Clemens Alexandrinus, & alii, amplecti necessariò debebant Manichæi, qui, ut testatur Sanctus Augustinus libro vigesimo contra Faustum, capite decimo tertio, & Sanctus Leo Papa sermone quarto quadragesimæ, vinum abominabantur. Alii verò vel lac solum, vel lac melle mixtum pro vino consecrabant.

Alii denique, *Ophite* dicti, serpentem, ut refert Sanctus Augustinus citatus capite decimo septimo, & Tertullianus de præscriptionibus hæreticorum capite septuagesimo quarto, juxta altare alebant, qui per Sacerdotis incantationem stans temporibus egressus panem lambebat, ex quo conficiebant Eucharistiæ. Sed hæc mera sunt somnia, & contemnenda potius, quam impugnanda. Quare ut ad rem accedam.

Materia hujus Sacramenti remota est panis & vinum: ita Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ quartâ, art. primo, & Theologi omnes, estque expressè

II. *Aquâ nonnulli loco vini in hujus Sacramenti consecratione utebantur: inde dicti Aquarii.*

III. *Ophitarum circa Eucharistiæ consecrationem, quibus materiam abusu.*

IV. *Materia remota hujus expressè*

Sacramenti
est panis &
vinum.

expressè definitum in Florentino, in decreto ad Armenos, & in Tridentino sessione decimâ tertîâ: & ob hoc Ethnici olim Christianos dicebant colere Cererem & Liberum, ut testatur Sanctus Augustinus libro vigesimo contra Faustum, capite tertio.

V.
Hanc asser-
tionem aper-
te probat
ipsum sa-
cramentum Chri-
sti.

Probatur assertio apertè ex facto Christi: Fuit autem conveniens ut sub speciebus panis & vini, potius quàm aliarum rerum institueretur hoc Sacramentum, tum quia, ut ait Sanctus Thomas, sicut conveniens fuit ut ablutio spiritualis in aquâ institueretur, quia illa est qua utuntur homines communiter in ablutione corporali, ita quia id quod communissimè adhibent homines in refectione corporis est panis & vinum, ideo convenientissimum fuit, ut Sacramentum, quod ad nutriendam animam per modum refectionis institutum est, sub speciebus panis & vini institueretur. Secundò ut etiam docet Sanctus Thomas ibidem, ad significandam unitatem Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum, quod constituitur ex diversis fidelibus, sicut panis ex diversis granis conficitur, & vinum fluit ex diversis uvis.

VI.
Panis hic
esse debet
triticeus.

Panis qui sit materia apta hujus Sacramenti esse debet triticeus: ita Sanctus Thomas quæst. septuagesimâ quartâ, art. tertio, Suarez, Vasquez, Coninck, & omnes passim, estque definitum in Florentino, in decreto ad Armenos, & in literis unionis. Caietanus tamen, Tannerus, & alii putant Concilium ibi solum assignare triticum tanquam materiam aptissimam. Verius nihilominus est Concilium loqui de materiâ necessariâ, alioqui ubi idem requirit aquam naturalem ad Baptisum, & vinum de vite ad Eucharistiam, posset quis dicere solum loqui de materiâ aptissimâ.

VII.
Quid nomi-
ne tritici in-
telligatur.

Per triticum autem intelligimus cum Sancto Thoma, Tannero disp. quintâ, quæst. secundâ, Layman de Sacramento Eucharistiæ, cap. secundò, Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, art. tertio, & aliis, non perfectissimum solum triticum, sed omne illud granum, quod cum purissimo tritico affinitatem aliquam habet. Unde Sanctus Thomas ad secundum ait siliginem, seu fecale esse materiam aptam, & idem docet Albertus Magnus, Paludanus, & alii, & probabile putat Soto de speltâ. Unde cum Sanctus Thomas ad secundum negat speltam sufficere, intelligit, ut notat Soto, aliud genus frumenti durissimi, & ad conficiendum panem minus apti, quo etiam modo intelligendus est dum ex farre negat confici posse hoc Sacramentum. Si tamen de aliquo dubitetur an triticum sit necne, non licet extra casum necessitatis materiam illam consecrare.

VIII.
Oriza, mi-
lium, hor-
deum, avena non sunt
materia cõ-
secrationis.

Avena itaque, oriza, hordeum, milium, & alia hujusmodi, quæ ab omnibus censentur non esse triticum, non sunt materia hujus Sacramenti, quamvis Gabriel lectione trigessimâ quintâ in canone Missæ dicat hordeum esse materiam aptam consecrationis, idque ita acriter, ut oppositum definire, dicat non esse tutum homini Theologo. Sed hoc modò sustineri non potest. Idem à fortiori est de leguminibus, & quibusdam radicibus, ex quibus apud nonnullas nationes quoddam panis genus confici solet. Amidum verò, licet ex medullâ tritici fiat, tamen in ipsâ confectione corrumpitur, unde non est materia apta, ut cum Sancto Thoma ad quartum docent Auctores communiter. Debet verò misceri farinæ tritici aqua naturalis, non rosacea: nec etiam

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. II.

debet confici ex lacte, butyro, melle, &c. sic enim esset potius libum, quàm panis.

Caietanus putat farinam aquæ rosaceæ admixtam esse materiam sufficientem, quòd specie substantiali physicâ non differat ab aliâ. Sed quicquid sit de hoc, sufficit differre specie accidentali, nam in arte factis sufficit differentia in formâ artificiali & usuali; qua etiam de causâ massa farinæ cruda, vel oleo aut butyro frixa, aut aqua olixâ non est materia hujus Sacramenti, ut communis habet opinio, licet specie fortè non differat à pane communi modo cocto.

IX.
Male docet
Caietanus
materiam
sufficientem
consecrationis
esse farinam
tritici mix-
tam aquâ
rosacâ.

Notandum verò hic cum Sancto Thoma, & Auctoribus communiter, aliquam alterius rei admixtionem non obstat veritati hujus materiæ, modò magna non sit; tunc enim mutaret speciem. Si panis ita corruptus sit, ut solvatur in species, non est materia apta hujus Sacramenti, secus si non planè corrumpatur ut notat Sanctus Thomas ad quartum.

X.
Aliqua al-
terius rei
admixtio
veritati
materiæ
non obstat,
modò non
sit magna.

Tam panis azymus, quàm fermentatus est materia hujus Sacramenti: ita habetur in Florentino in literis unionis, ubi dicitur debere Sacerdotes sive occidentalis sive orientalis Ecclesiæ hac in parte propriam consuetudinem servare, ut illi in azymo, hi in fermentato consecrent, ita ut græco dum intra Ecclesiæ illius terminos commemoratur, non liceat consecrare in azymo, aut latino in fermentato dum vivit intra limites Ecclesiæ latinæ.

XI.
Et azymus
panis, cõ-
fermentatus
est materia
apta conse-
crationis.

Nonnulli verò, latinis panem azymum, græcis fermentatum dicebant esse de necessitate Sacramenti, ita ut si illi in fermentato, hi in azymo consecrare tentarent, nihil facerent, nec Christum sub speciebus præsentem constituerent, sed est, inquit Suarez hic, disp. quadragesimâ quartâ, sect. tertîâ, ineptissima sententia, & omni fundamento destituta.

XII.
Dicebant
aliqui La-
tinum sa-
cerdotem
non posse
validè con-
secrare in
fermentato,
nec Græcum
in azymo.

Quoad vinum dico quodvis & solum vinum de vite, idque ex uvis maturis expressum, non in iis adhuc contentum sufficere; si enim necdum sit expressum, cibis potius est, quàm potus, sicut pomum non est ficera. Rationem addit Coninck, quia non potest sufficienter designari per particulam hoc, cum non contineatur liquor ille in uvâ ut in vase, sed tanquam pars in toto, unde licet si sanguis contineretur in vase, possemus monstrato vase dicere, hoc est sanguis, non tamen id possemus congruè dicere monstrato homine: si verò uvæ maturæ non sint, non est liquor ex iis expressus vinum, nec potus humanus, sed potius acetum. Sufficit autem vinum recentè expressum, necdum defæcatum, non tamen ex uvis passis, seu exsiccatis; videntur enim substantialiter mutari. Esti autem validè consecratur mustum, aut vinum recentè ex uvis expressum, unde etiam apud nonnullos in more erat ut primitiæ uvarum in calicem expressæ certo anni die consecrarentur, sicque Deo peculiari modo offerrentur, hoc tamen fieri licitè non potest, ut notat Suarez disp. quadragesimâ quintâ, sect. primâ, Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, articulo quinto, num. centesimo vigesimo quarto. Layman de Eucharistiâ capite secundo, numero sexto, & alii, quod tamen intelligi debet extra casum necessitatis, nam in necessitate id licere docent Coninck & Layman citati.

XIII.
Liquor in
uvis adhuc
contentus
non sufficit
ad consecra-
tionem.

Circa vinum congelatum, Alanus, Armilla, & Angles dicunt non esse materiam validam consecrationis. Contraria tamen sententia est omnium penè Doctorum, quia verè vinum illud retinet

XIV.
Vinum con-
gelatum
validè con-
secratur.

TOM. II.

Si tamen ante consecrationem congelatur, consultius videtur illud mutare.

retinet substantiam vini. Monet tamen Suarez, si ante consecrationem contingat vinum congelari, consultius esse illud mutare, & aliud sumere: quod tamen inquit Layman citatus, intelligendum est si ex congelatione mutatio contingat in accidentibus, ita ut censetur vinum aliquo modo corruptum, alioqui inquit ille, consultius erit illud iterum resolutum consecrare, quam mutare. Quod verò dicit Alanus Christum desinere esse sub speciebus statim atque vinum consecratum congelatur, ac proinde aliud vinum esse consecrandum, & est contra communem sententiam & praxim Ecclesie, nam in Missali Romano de defectibus Missæ dicitur, si vinum consecratum in calice congeletur, debere liquefieri & sumi.

XV.

Vinum congelatum est remotè potabile, & propter ea est materia consecrationis.

Dices, vinum congelatum non est potabile, ergo non est materia consecrationis. Distinguo antecedens: Non est potabile in actu secundo, & proximè, concedo; non est potabile ex natura sua, & remotè, nego: hoc autem sufficit ut aliquid sit materia illius Sacramenti, cujus essentia non consistit in usu, sicut consistit Baptismus, quâ de causâ aqua congelata non est materia proxima illius, quia non est proximè apta ad ablu-tionem, in quâ tamen consistit essentia Baptismi.

XVI.

Dices: Ergo liquor adhuc in uvâ existens est materia consecrationis.

Urgebis: Ergo liquor adhuc in uvâ existens est materia consecrationis; æquè enim potabilis est ac vinum congelatum: sicut enim hic requiritur sola liquefactio, ita ibi expressio. Negatur consequentia: Liquor enim ille in uvâ existens habet aliquid oppositum conceptui potus, cum sit pars uvæ, & sub statu cibi, qui est status omnino oppositus, vinum autem congelatum non minus est vinum, quam aqua congelata est aqua, unde per se est potabile, & reducere se potest ab intrinseco ad potabilitatem proximam, ut bene Suarez disput. quadragesimâ quintâ, sectione primâ, sine: & penè eadem ratio est de vino congelato ac de pane, qui casu aliquo ita durus effectus est, ut comedi omnino non possit, nisi arte aliquâ reddatur mollior, ut notat Suarez ibidem, licet tamen consecrari non potest vinum congelatum, unde peccaret graviter quisquis hoc attentaret, ut docent omnes.

SECTIO SECUNDA.

Vtrum Christus panem azymum consecraverit, an fermentatum.

I. *Græcorum hæc in parte error.*

GRÆCORUM sententia vel error potius est, ut vidimus sectione præcedente, solum panem fermentatum esse materiam aptam ad hoc Sacramentum, vel licetè vel validè consiciendum. Hic error, ut advertunt rerum Ecclesiasticarum Scriptores, mille viginti annis incepit post Christi adventum: hanc sententiam tenet Euthymius Matth. cap. vigesimo sexto, Nicephorus libro primo historia, capite vigesimo octavo, & in hoc errore etiamnum persistant Græci, cumque mordicus defendunt. In eo autem hic eorum error fundatur, quod Christum putent, non in azymo, sed fermentato consecrasse, & hoc modo Eucharistiam primò instituisse.

II. *Constant Latinorum sententia est, Christum conse-*

Latini verò omnes e contrario affirmant Christum consecrasse panem azymum. Totâ autem hæc controversia dependet à questione illâ quo die Christus sit mortuus, cujus discussio licet ad interpretes Scripturæ spectet, non ad Theologos,

breviter tamen dico Christum lunâ decimâ quintâ mortuum fuisse, in ipso solemnî festo Azymorum, & consequenter cum pridie quam pateretur, in ipsâ cenâ noctis præcedentis, venerabile Sacramentum instituerit, illud lunâ decimâ quartâ ad vespèram, cum jam festum Azymorum, quod semper pridie post Solis occasum incipiebat, instituerit necesse est, cum jam nemini per septem dies panem fermentatum domi habere liceret: ita Sanctus Thomas tertiâ parte, quaestione quadragesimâ sextâ, articulo nono, ad primum, Suarez Tomo secundo in tertiam partem, disp. quadragesimâ, sect. secunda, Bellarminus libro quarto de Eucharistia, cap. octavo, Vasquez hic, disp. centesimâ septuagesimâ secundâ, Coninck quaest. septuagesimâ quartâ, articulo quarto, dub. primo, & omnes communiter, præter Legionensem, qui cum Græcis dicit Christum lunâ decimâ tertiâ vespere ac Judæos agnum Paschalem comedisse asserit.

Paulus verò Burgenfis, quem sequitur Maldonatus, Psalmieron, & Petavius, qui Christum lunâ quidem decimâ quartâ agnum paschalem comedisse docent & Eucharistiam instituisse, Judæos tamen eo anno Pascha suam in diem Sabbati transfuisse, ne duæ solemnitates sibi immixtæ succederent, ac proinde Christum Judæos quidem, sed non tempus comestioni Agni Paschalis assignatum prævertisse.

Probatour nostra conclusio, nam Matthæi vigesimo sexto dicitur: *Primo die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum dicentes, ubi vis parvulus tibi comedere Pascha, ergo die illo, quo sub vespere tenebantur omnes comedere agnum Paschalem, quod clariùs constat Marci decimo quarto, ubi dicitur: Primo die Azymorum, quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli, &c. & tandem addit Sanctus Lucas capite vigesimo secundo: Venit autem dies Azymorum, in quo necesse erat occidi Pascha, quæ tam apertè probant Agnum Paschalem, comedi eo die debuisse, quo Christus illum comedit, & Sacramentum hoc instituisse, illumque fuisse initium primi diei Azymorum, cujus prima vespere incipiebat semper pridie post Solis occasum, sicut apud nos primæ vespere alicujus festi post meridiem diei præcedentis, ut ex Græcis multi, juxta Sanctum Thomam citatum, dicant hos tres Evangelistas errasse, & à Sancto Joanne correctos fuisse, in quo ut ait Coninck numero septuagesimo septimo se obstinatissimos hæreticos ostendunt, & malle ab Evangelio, quam à suis erroribus recedere.*

Nec urgent quæ obijciunt adversarii; quod enim dicat Sanctus Joannes pedum lotionem, & consequenter institutionem Eucharistia contigisse ante diem festum Paschæ, intelligit secundum communem modum computandi dies, nempe ab ortu Solis, sicut apud nos dies resurrectionis & alia festa incipere dicuntur vel post mediam noctem, vel mane orto jam Sole, licet primas vespere celebremus pridie.

Quod verò noluerint ingredi Prætorium ne contaminarentur, sed comederent Pascha, per Pascha non intelligitur Agnus Paschalis, sed alia victima, quibus in Paschate vesci solebant. vocatur autem Parasceve Paschæ, non quod antecederet Pascha, sed quod in ipsum diem Paschæ incidere, quem eo anno immediatè sequebatur Sabbatum quod solum habebat Parasceve; in aliis enim festis licebat cibos coquere, sicut & mortuos sepelire, & ea quæ ad id opus pietatis erant preparare.

erasse in azymo.

III. *Dicunt alii, qui invidet eo anno Pascha suam in diem Sabbati transfuisse.*

IV. *Ex sacri literi ostenditur Christum primo azymorum Eucharistia instituisse.*

V. *Quo sensu dicat S. Joannes lotionem pedum, & consequenter institutionem Eucharistia contigisse ante diem festum Paschæ.*

VI. *Quid intelligatur per Pascha, dum Iudæi volebant ingredi Prætorium, ut non contaminarentur, sed comederent Pascha.*

preparare. Per quod cessat argumentum ductum à sepulturâ Christi: & licet dixerint Pharisæi non in die festo, hoc tamen non ob religionem legis, sed ne tumultus fieret in populo dicebant, ubi verò ex occasione proditiōis Judæ videbant posse Christum sine tumultu capi & occidi, vel in die festo id fieri malebant, quàm occasionem illam omittere.

VII.
Quomodo secundum nostrum computum dies Pentecostes, qui incidit semper in Dominicâ, potuerit esse quinquagesimus.

Tandem quod affertur de die Pentecostes, qui erat quinquagesimus à secundo die Azymorum & incidit in Dominicam, quod tamen fieri non posset juxta nostrum computum, si enim numerentur septem hebdomadæ incipiendo à die Sabbati, qui in nostrâ sententiâ erat secundus Azymorum cum Christus mortuus sit die primo, dies immediatè eas subséquens erit dies Sabbati: Respondet enim numero octogesimo septimo cum aliis, illo anno Pentecostem Judæorum verè incidisse in Sabbatum: quando autem Sanctus Lucas Actorum secundo ait: *Cum complerentur dies Pentecostes*, intelligendum esse ait de Pentecoste Christianorum, ad quos scribebat, nempe de quinquagesimo post resurrectionem die; toto enim capite loquitur de resurrectione Christi, de conversatione ejus cum discipulis, ascensione in cœlum quadragesimo à resurrectione die, & tandem quinquagesimo venisse Spiritum Sanctum, ergo hoc etiam intelligit de quinquagesimo die post resurrectionem. Suarez citatus Tomo secundo, disputatione quadragesimâ secundâ ait: *Cum complerentur dies Pentecostes*, significare idem ac cum jam completum seu transactum esset festum illud, ac proinde sequente die. Vasquez disp. centesimâ septuagesimâ secundâ, capite duodecimo ait, septem illas hebdomadas computandas esse à secundo die Azymorum exclusivè. Quis respondendi modus sufficit. Sed de his plura sacra Scripturæ interpretes.

SECTIO TERTIA.

Vtrum aqua vino ex Ecclesiæ præcepto admixta, immediatè convertatur in Sanguinem.

I.
Dicebant Armeni in Christo unam tantum esse naturam, ideo que aquam vino non esse admiscendam.

ARMENORUM error fuit, ut notat Theophilactus Joannis decimo nono, aquam in consecratione calicis vino non esse admiscendam, quod, inquit Nicephorus, ideo non faciebant, ut Christum unius tantum esse naturæ significarent. Hunc verò Armenorum errorem nonnulli Græcis etiam tribuerunt, quos tamen certum videtur in hoc errore non fuisse. Eundem errorem amplexus est Calvinus, quod scilicet hæc aquæ vino admixtio in Scripturâ non reperitur; Lutherus verò, ut refert Sanderus libro septimo visibilis Manarchiæ, Anno 1549. ait necdum se fecum itauisse, utrum in Misâ aqua vino sit admiscenda?

II.
Aqua ante consecrationem est vino permiscenda.

Dicendum tamen, aquam vino ante consecrationem esse permiscendam; id enim aperte docet Florentinum in decreto Eugenii quarti ad Armenos, & Tridentinum sessione vigesimâ secundâ, capite septimo, ubi addit id ex præcepto Ecclesiæ fieri. Idem docet Alexander Papa septimus post Beatum Petrum, qui ait se id à Patribus accepisse. Rationem reddunt Concilia citata, tum quia Christus creditur primum ita consecrasse, tum ad representandum sanguinem & aquam, quæ

ex latere Christi fluxerunt, tum denique ad significandum unionem populi Christiani cum Christo capite; aqua enim populum significat, ut constat Apocalypsis decimo septimo, versu decimo quinto, ubi dicitur: *Aqua populi sunt.*

Unde ut docet Divus Thomas hic, questione septuagesimâ quartâ, articulo septimo contra Armachanum libro nono de questionibus Armenorum, cap. nono, non est hæc admixtio aquæ ad validam Sacramenti consecrationem necessaria: primum quia Florentinum assignat pro materiâ hujus Sacramenti panem triticeum & vinum de vite, cum tamen dicat materiâ Consecrationis esse oleum mixtum balsamo, & licet asserat admiscendam esse modicissimam aquam, hanc tamen non assignat pro materiâ necessaria, imò addit ob Ecclesiæ tam latinæ, quàm græcæ consuetudinem hoc debere fieri, & ab Armenis faciendum præscribit, ne ab universali Ecclesiæ consuetudine discrepent, non ob institutionem Christi, quod tamen addidisset si Christus hoc instituisset.

Præterea in eodem Concilio affertur auctoritas Julii I. qui fuit secundus post Beatum Sylvestrum Pontifex, qui ex Canonum præscripto id faciendum docet: deinde, si ante consecrationem non fuerit admixta aqua, Ecclesia non jubet admiscere & denuò consecrare, sed sumi id quod est consecratum, ergo censet esse materiâ validam. Tertio Concilium Tridentinum loco citato dicit hoc esse præceptum ab Ecclesiâ, quæ, etiam probant contra Hosium libro quarto de traditionibus, & Castro libro sexto, verbo *Eucharistia* hæresi septimâ, hanc mixtionem aquæ non esse ex præcepto divino.

Quando ergo Sanctus Cyprianus, aut alii Patres dicunt vinum solum non posse consecrari, loquuntur de licitâ consecratione; Sanctus enim Cyprianus, cujus auctoritas præcipuè urget, Epist. sexagesima tertia ad Cæciliam, eodem loco sic habet: *Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis*, id est ita ut non significet unionem nostri cum Christo, qui per aquam significamur. Unde Sanctus Thomas quæst. septuagesima quarta, articulo septimo ad primum, asserens hoc testimonium Sancti Cypriani intelligi eum debere asserit de convenientiâ, non de necessitate.

Nec in exemplo quod affert Sanctus Cyprianus, nempe sicut ex farinâ solâ sine aquâ non potest confici Sacramentum corporis, ita nec ex vino solo, nisi aliquid aquæ admisceatur, Sacramentum sanguinis, in hoc namque exemplo, inquit Sanctus Thomas, non est spectanda omni-modâ paritas, sed solum sicut unum fieri non debet, ita nec aliud. vel etiam dici potest, solum negare Sanctum Cyprianum, si vinum solum consecraretur esse Sacramentum, ita completum in ratione significationis, cum in eo casu non significet expressè unionem populi Christiani cum Christo capite, quod probatur ex loco Sancti Cypriani proximè citato, præsertim cum ex definitionibus Conciliorum & Pontificum habeamus admixtionem hanc fieri ex solo Ecclesiæ præcepto.

Nec omnia quæ fecit Christus sunt de necessitate Sacramenti, alioqui non posset confici nisi in azymo. Debet tamen hæc mixtio fieri per modum cæremoniæ in ipso calice, non antequam infundatur, nec etiam tantum aquæ infundi debet ut potius censeatur aqua quàm vinum; neque enim aqua vino alterata, sed vinum aqua mixtum est

III.

Non rectè dicit Armachanus, hæc aquæ admixtionem esse ad validam Sacramenti consecrationem necessariam.

IV.

Auctoritate Julii I. ostenditur vinum non mixtum aquâ esse materiâ consecrationis.

V.

Sanctus Cyprianus, & alii solum negant posse licitè consecrari vinum sine aquâ.

VI.

Quid ad exemplum à S. Cypriano allatum respondeat S. Thomas.

VII.

Omnia quæ fecit Christus non sunt de necessitate hujus Sacramenti.

est materia hujus Sacramenti. Querimus ergo, casu quo tempore consecrationis remaneat aliquid aquæ non conversum in vinum, convertatur in sanguinem, vel in calice post consecrationem remaneat.

VIII. *Prima opinio affirmat, si aqua mixta vino, non fuerit mutata in vinum ante consecrationem, non converti in sanguinem.*

Prima sententia est Scoti in quarto, dist. undecimâ, quæst. sextâ, Soti in quarto, dist. nonâ, quæst. primâ, articulo sexto, estque communis Thomistarum, Suarez hic, disp. quadragesimâ quintâ, sect. quartâ, Valquez disp. centesimâ septuagesimâ octavâ, cap. secundo, eamque acerrimè defendit Tannerus disp. quintâ, quæstione secundâ, dub. sexto: Maratii disp. quintâ de Eucharistia sect. quartâ, Gamachæi tertiâ parte, quæst. septuagesima quarta, cap. tertio, Kellisoni quæst. septuagesima quarta, cap. octavo, & aliorum, qui dicunt aquam vino admixtam, si ante consecrationem non fuerit in vinum mutata, non converti in sanguinem, sed manere in calice.

IX. *Probabilius tamen est, aquam hoc modo ex præscripto Ecclesie admixtam vino, immediate simul cum vino converti in sanguinem.*

Secunda, & probabilior sententia affirmat, aquam vino ex Ecclesie præscripto admixtam, si ante consecrationem in vinum conversa non fuerit, converti immediate simul cum vino in sanguinem: ita Cardinalis Alanus libro primo de Sacramento Eucharistia, capite decimo tertio, Cardinalis Baronius tomo duodecimo Annalium, sub finem anni 1188. qui duo hanc sententiam putant esse de fide: Toletus, Salmeron, Jansenius, Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, art. octavo, dub. unico, Præpositus ibidem, Layman de Eucharistia. cap. secundo, estque frequentissima inter recentiores opinio, & in Patribus maximum habet fundamentum.

X. *Prima & præcipua hujus sententia probatio desumitur ex Patribus.*

Probatum itaque primò ex Patribus, qui universim affirmant aquam vino mixtam converti in sanguinem; sic enim loquitur Alexander primus in Epistola ad omnes orthodoxos: *Non enim, inquit, debet in calice Domini aut vinum solum, aut aqua sola offerri, sed utrumque permixtum offeratur, &c.* ubi per offerri idem intelligitur, ac consecrari, ut secundum communem usum Patrum & Conciliorum habetur. Unde hoc modo sapè loquitur Concilium Tridentinum, ut sessione decima tertia, capite quarto, & sessione vigesima secunda, canone primo, ubi offerri Christi corpus idem esse dicit, quod consecrari, vel immolari.

XI. *Clarum S. Augustini & S. Ambrósii hæc de vestigiis monium.*

Sanctus Augustinus, *Aqua, inquit, mittitur, & fit sanguis consecratione verbi celestis.* Sanctus Ambrosius libro quarto de Sacramentis capite quinto: *Ante verba Christi calix est vino & aqua plenus, ubi verba Christi operata fuerint, ibi sanguis efficitur qui plebem redemit.* Sanctus Damascenus libro quarto de Fide, capite decimo quarto: *Panis, & vinum, & aqua, per invocationem divini Spiritus mirabili modo in corpus & sanguinem Christi vertuntur.* Algerus libro primo de Sacramento corporis Domini, capite decimo sexto: *Cum enim vinum pro Christo, aqua pro populo sacrificetur, & utrumque unus sanguis fiat, &c.* qui etiam modus loquendi aliis Patribus est familiaris, ita ut, inquit Coninck citatus, numero centesimo quadragesimo quarto, hoc antiquitatis vox fuisse videatur.

XII. *Obje. Hac Patrum dicta intelligenda esse de conversione mediata.*

Dices cum Tannero & aliis, hæc omnia intelligi de mediata conversione, ita nimirum ut aqua convertatur quidem in sanguinem, si tamen prius conversa fuerit in vinum. Sed contra primò; nullibi enim sic Patres loquuntur, sed expresse dicunt aquam & vinum, seu aquam cum vino converti in sanguinem, quod non magis

proprie dici potest in sensu adversariorum, quam si quis diceret frumentum, aut aquam quæ farina miscetur converti in corpus Christi, quam sine dubio omnes conferent esse impropriam locutionem, & tamen convertuntur in corpus mediatè. Contra secundò: Si mens Patrum fuerit aquam converti in sanguinem, modò prius convertatur in vinum, mirum est eos hoc nunquam asseruisse: imò quando dicunt in calice plus vini esse debere quàm aquæ, nunquam eam rationem reddunt, quod prius converti debeat in vinum, quàm in sanguinem, sed quòd significare debeat majorem esse majestatem Christi, qui per vinum in hoc mysterio representatur, quàm sit fragilitas populi, qui representatur per aquam, ut habetur ex Patribus, & expresse tradit Concilium Triburiense canone decimo nono.

SECTIO QUARTA.

Uterius ostenditur aquam hoc modo admixtam vino, converti immediate in sanguinem.

SECUNDò probatur conclusio ex Innocentio tertio capite: *Cum Martha, de celebratione Missarum*, ubi propositum fuit Pontifici, Utrum aqua cum vino in sanguinem convertatur? in hac autem quæstione aliquid dubium proponebatur Pontifici, nullus autem unquam dubitavit, utrum si aqua ante consecrationem conversa fuisset in vinum, converteretur in sanguinem; hoc enim est certum, cum tunc verè sit vinum æquè ac illud quod primò infusum erat calici, ergo quæstio erat prout verba sonant, Utrum aqua, postea quod tempore consecrationis conversa non fuerit in vinum, convertatur in sanguinem; hoc enim sonant verba illa, *aqua cum vino*, nam sicut, si ibi non sit tunc aqua & vinum, falsum esset dicere Angelus videt aquam cum vino, ita & falsum esset dicere aqua cum vino convertitur in sanguinem.

Tribus ergo relatis sententiis, quarum prima dicebat aquam illam converti in aquam quæ fluxit de latere Christi: Secunda converti in sanguinem, modò prius transeat in vinum, licet, inquit Pontifex, id Physici negent, scilicet aquam unquam transire in vinum: Tertia aiebat manere aquam post consecrationem, & solum esse extrinsecè mutata per accidentia vini: tandem directè respondet quæstioni & dicit aquam cum vino in sanguinem transmutari; ubi vel nihil dicit Pontifex, vel assumat aquam immediate in sanguinem converti, cum satisfacere debeat dubio sibi proposito.

Dices, Pontificem approbare secundam sententiam, hæc autem dicebat aquam converti in sanguinem, modò tamen prius convertatur in vinum. Respondetur, Pontificem conclusionem illius approbare non tamen rationem, imò eam potius rejicit, & dicit à Physicis, seu Philosophis communiter negari aquam omnino in vinum converti, sed semper posse iterum per artem separari: unde postea ubi suam tradit sententiam rationem illam non repetit, sed solum dicit aquam cum vino converti in sanguinem, hocque probat, non ratione illâ philosophicâ, sed ex eo quòd hoc modo meliùs exprimitur unio Ecclesie cum Christo.

Deinde

IV. *Vtrius ostenditur Innocentium hoc loco docere aquam ante consecrationem in calice manentem transire immediatè in sanguinem.*

Deinde vel sequitur Pontificem definitum sententiam illam philosophicam, nempe aquam prius converti in vinum, quod tamen nullus dicit, cum illa sententia adhuc sit inter Philosophos controversa, imò eam Aristoteles non solum nunquam docuit, sed expressè negavit lib. primo de Generatione, cap. decimo, textu octogesimo nono, ut ostendit Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, art. octavo, dub. unico, numero centesimo septuagesimo octavo: vel solum ait Pontifex aquam converti in sanguinem si prius transeat in vinum, & hoc est nihil dicere, cum de eo nemo dubitet, nec dubitare possit, ut ostensum est, imò ipse Innocentius libro quarto de mysteriis Missæ, capite undecimo, apertè supponere videtur aquam immediatè transire in sanguinem, nam in Sacramento, inquit, est trinitas specierum, nempe panis, vinum, & aqua: unde verisimile est eum in hac definitione conformiter ad doctrinam à se alibi traditam processisse.

V. *Ex factis Christi probatur aquam illam transire immediatè in sanguinem.*

Tertiò idem probatur ex factis Christi, à quo aquam fuisse per consecrationem immediatè in sanguinem convertam, longè videtur probabilius: & imprimis nullus, opinor, dicit aquam mansisse in calice à Christo consecrato, ergo debuit immediatè converti in sanguinem, cum Patres aquam illam adeo modicam fuisse nunquam inducent, imò Christum iuxta communem usum aquam vino tunc immiscuisse verisimilius est; unde multis post annis consuetudo erat in Ecclesiâ, ut duæ partes essent vini, tertia aquæ, quem morem in Germaniâ in usu fuisse constat ex canone decimo nono Concilii Triburiensis ibidem, anno 895. celebrati.

VI. *Ex quamora inter admixtionem aquæ, & consecrationem à Christo factam intercessit.*

Quòd verò exigua etiam mora inter aquæ admixtionem & consecrationem à Christo factam intercesserit, probatur tum ex liturgiâ Sancti Basilii, in quâ sic habetur: *Similiter calicem vini nativè vite postquam convenerunt accepit, miscuitq; aquis, gratias egit dicens, &c. tum ex liturgiâ Sancti Jacobi, ubi dicitur: Similiter postquam convenerunt accipiens calicem, & permiscens ex vino & aqua, & afficiens in calum ac ostendens tibi Deo Patri, gratias agens, sanctificans, benedicens, implens Spiritu Sancto, dedit nobis dicens: Hic est, &c. ex quibus constat continuata actionum serie hæc omnia à Christo fuisse præstita, qua de causa, ut notant aliqui, Evangelistæ referentes factum Christi, ubi dixissent eum accepisse panem, &c. dum ad sanguinis consecrationem veniunt, non dicunt eum accepisse vinum sicut prius dixerant accepisse panem, sed accepit, inquit, calicem, ut utrumque quod includebatur, comprehenderetur.*

VII. *Frequenter contingit ut aqua tempore consecrationis, necdum sit in vinum conversa.*

Quartò probatur; frequenter enim necessariò manet aqua tempore consecrationis, ut patet quando Sacerdos jamjam consecraturus recordatur se aquam non immiscuisse, quam proinde tunc apponere debet, & statim consecrare, deinde si in consummatione advertat aquam loco vini in calice fuisse, tunc debet vinum sumere, & admiscens aquam consecrare. Imò nunquam videtur curasse Ecclesiâ utrum aqua fuisset prius in vinum conversa, ut patet ex Concilio Triburiensi supra citato, ubi tertia pars dicitur posse esse ex aqua: & ex Honorio tertio, qui Innocentio successit, hic enim capite *Pernitiosus de celebratione Missarum*, præcepit ut juxta consuetudinem Ecclesiæ plus vini quam aquæ in consecratione adhiberetur, ergo illo tempore solum erat omnibus curæ, ut plus vini esset in calice,

quàm aquæ; ac proinde moraliter loquendo non poterat in vinum ante consecrationem converti, præsertim si vinum erat tenue.

Quod autem jam modicissima aqua admisceri solet, non est ut prius convertatur in vinum, sed primum factum est ut significetur summa majestas & excellentia Christi super populum Christianum, ut Patres indicant, & habetur in Concilio Triburiensi.

VIII.

Cur jam in Missis modicissima aqua admisceatur vino.

Ideo verò miscetur aqua aliquo tempore ante consecrationem, quia cum eo tempore fiat oblatio materiæ consecrandæ, convenientius videtur ut tunc tota materia offeratur simul, quàm ut sigillatim postea per se offerretur aqua: sicut etiam tunc hostiæ pro iis qui in fine Sacri sunt communicaturi offeruntur. Ideo autem inter offertorium & consecrationem aliquod temporis intervallum intercedit, quia conveniens fuit ut ritus aliqui & cæremoniæ super materiam oblatam ante consecrationem exercerentur, & orationes diversæ super eandem funderentur.

IX.

Quam ob causam aqua aliquo tempore ante consecrationem miscetur vino.

Deinde, communem omnium sensum fuisse in Ecclesiâ aquam non converti in vinum priusquam convertatur in sanguinem, constat ex Gregorio monacho apud Baronium anno 1188. qui scribens ad Episcopum Albanensem tunc vicarium Pontificis, ait se in Galliam reversum novam apud aliquos ventilatam questionem invenisse, Utrum scilicet substantia aquæ in calice cum vino mixtæ similiter cum eodem vino in sanguinem convertatur. In hac controversiâ quidam aiebant converti immediatè in sanguinem simul cum vino, alii vinum quidem converti, sed aquam manere immutatam, ubi utraque opinio supponebat aquam tempore consecrationis manere non convertam in vinum, alioqui nullus fuisset locus controversiæ.

X.

Comparatis omnium in Ecclesiâ sensibus fuisse videtur, hanc aquam immediatè converti in sanguinem.

Imò eo tempore moraliter loquendo semper aliquid saltem aquæ manebat tempore consecrationis non mutatum in vinum, cum non diu esset ante tempora Honorii tertii, quando, ut vidimus, id solam curæ erat ut plus vini tempore consecrationis esset in calice, quàm aquæ. Subjungit Baronius: *Quid autem rescripserit ad petitam consultationem Cardinalis Episcopus Albanensis, non invenimus, sed aliud rescribere non potuisse certum est, quàm quod credidit & custodivit semper sancta Romana Ecclesiâ, nimirum, aquam simul & vinum transubstantiari in sanguinem Christi: Hæc ille.*

XI.

Eo tempore semper aliquid aqua manebat non convertum in vinum.

SECTIO QUINTA.

Argumenta contendunt aquam non converti immediatè in sanguinem.

OBJECTS primò Sanctum Thomam quæst. septuagesimâ quartâ, art. octavo, ubi dicitur videtur aquam converti in sanguinem, ita tamen ut prius convertatur in vinum. Respondetur, asserere quidem hoc Sanctum Doctorem, & addere posse eam in vinum converti, & propterea expedire ait modicam tantummodo aquam admisceri, ut in vinum convertatur; nunquam tamen affirmat Sanctus Thomas non posse aquam in sanguinem converti, nisi prius convertatur in vinum; imò in variis hujus quæstionis articulis contrarium non leviter insinuat. De mente tamen

I.

Obijciunt: Dicere S. Thomam aquam ita converti in sanguinem, ut prius convertatur in vinum.

tamen Sancti Doctoris plura dicuntur infra in fine Sectionis.

II. *Objic. Dicere Concilium Florentinum vinum esse materiam hujus Sacramenti, ergo aqua non est.*

Objicies secundò Concilium Florentinum dicens materiam hujus Sacramenti esse vinum cui aqua miscenda; ergo juxta Concilium solum vinum est materia consecrationis, cum de eo tantum, non de aquâ affirmet esse materiam Sacramenti. Confirmatur: Christus enim non præcepit aquam vino admisceri in calice consecrando; ergo non est fundamentum dicendi ipsum instituisse eam pro materia hujus Sacramenti.

III. *Resp. Concilium verbum illud innuere aquam esse materiam hujus Sacramenti, non solum, sed vino mixtam.*

Ad argumentum respondetur ex verbis illis fati constare Concilium includere aquam in materia hujus Sacramenti, non tamen solum, sed vino mixtam. Ratio autem cur rem hanc eo loquendi modo exprimat, est ut significet vinum esse materiam necessariam, aquam verò, quamvis vino mixta, sit materia sufficiens, non tamen esse de necessitate Sacramenti, sicut est vinum.

IV. *Ad confirmationem dico, sicut secundum omnes circa materiam corporis instituit Christus solummodo panem in genere, abstrahendo ab eo quòd habeat sibi admixtum fermentum, salem, &c. ita etiam pro materia sanguinis instituit vinum, sive purum, sive aqua mixtum & usuale. Adde, quod Christus verbo non fecit, fecit exemplo, nam ut Sectione præcedente vidimus, in primâ Sacramenti hujus institutione, aquam vino miscuit, eamque statim consecravit.*

Ad confirmationem dico, sicut secundum omnes circa materiam corporis instituit Christus solummodo panem in genere, abstrahendo ab eo quòd habeat sibi admixtum fermentum, salem, &c. ita etiam pro materia sanguinis instituit vinum, sive purum, sive aqua mixtum & usuale. Adde, quod Christus verbo non fecit, fecit exemplo, nam ut Sectione præcedente vidimus, in primâ Sacramenti hujus institutione, aquam vino miscuit, eamque statim consecravit.

V. *Objic. Innocentium III. nullam opinionis nostræ fuisse mentionem, ergo eam non deservit.*

Objicies tertio non potuisse Innocentium definire, quod nos eum definivisse dicimus, nempe aquam immediatè transire in sanguinem, sive priùs convertatur in vinum sive non, cum nullam hujus opinionis mentionem fecerit. Respondetur secundam sententiam à Pontifice relatum duas partes complecti, nempe aquam converti in sanguinem, ita tamen ut priùs convertatur in vinum: quoad unam ergo partem, nempe quod aqua transeat in sanguinem amplectitur istam sententiam, modum autem, quæ est secunda illius pars carpit & rejicit, ut supra vidimus. Cum ergo dogmaticè hic loquatur Pontifex, absolute dicit abstrahendo ab opinionibus aquam converti in sanguinem, sive priùs convertatur in vinum, sive non.

VI. *Objic. Catechismus Romanum affirmari modicam aquam infundendam esse, quod Ecclesiasticorum scriptorum sententiâ & iudicio aqua illa in vinum convertatur. Respondetur, quoad mentem Ecclesiasticorum scriptorum satis constare ex dictis, cum & in Concilio Triburiensi, & decreto Honorii III. appareat, vel non multo plus vini appositum olim fuisse, quàm aquæ, vel saltem tertiam partem fuisse aquam, unde tota converti in vinum tam parvo tempore non poterat. Imo ex Gaufrido Monacho patet hunc non fuisse eo tempore sensum Ecclesiæ, ipseque Innocentius modum illum carpit potius, & rejicit, quàm probat. Denique Patres omnes supra citati dicunt aquam cum vino in sanguinem converti: ac proinde Theologi, qui Catechismus illum composuerunt, explicandi sunt de conversione late sumpta, quoad apparentiam externam, & quoad denominationem vini prædominantis in illo mixto. Et sanè præstat eos hoc modo explicare, quàm dicere eos Patribus omnibus contradixisse. Certè eò minorem habet auctoritatem hoc eorum testimonium, quòd nitatur auctoritate Honorii Capite perniciosus, quem dicunt affirmare secundum consuetu-*

Objicies quartò: in Catechismo Romano de Sacramento Eucharistiæ, numero decimo sexto affirmari modicam aquam infundendam esse, quod Ecclesiasticorum scriptorum sententiâ & iudicio aqua illa in vinum convertatur. Respondetur, quoad mentem Ecclesiasticorum scriptorum satis constare ex dictis, cum & in Concilio Triburiensi, & decreto Honorii III. appareat, vel non multo plus vini appositum olim fuisse, quàm aquæ, vel saltem tertiam partem fuisse aquam, unde tota converti in vinum tam parvo tempore non poterat. Imo ex Gaufrido Monacho patet hunc non fuisse eo tempore sensum Ecclesiæ, ipseque Innocentius modum illum carpit potius, & rejicit, quàm probat. Denique Patres omnes supra citati dicunt aquam cum vino in sanguinem converti: ac proinde Theologi, qui Catechismus illum composuerunt, explicandi sunt de conversione late sumpta, quoad apparentiam externam, & quoad denominationem vini prædominantis in illo mixto. Et sanè præstat eos hoc modo explicare, quàm dicere eos Patribus omnibus contradixisse. Certè eò minorem habet auctoritatem hoc eorum testimonium, quòd nitatur auctoritate Honorii Capite perniciosus, quem dicunt affirmare secundum consuetu-

dinem rationabilem Ecclesiæ generalis longè plus vini quàm aquæ adhibendum esse, cum tamen particula longè non reperitur in illo decreto, sed solum quod plus vini quàm aquæ debeat adhiberi.

Objicies quinto Concilium Tridentinum sessione decima-tertiâ, canone secundo, ubi definit substantiam vini converti in sanguinem, nullâ factâ mentione aquæ. Respondetur, Concilium ibi solum agere contra hæreticos negantes ullam fieri conversionem in corpus & sanguinem Christi, unde hoc satis erat ad intentum Concilii; licet ergo nullam faciat aquæ mentionem, non tamen propterea damnat eos, qui asserunt aquam converti; sic enim damneret Patres, qui unâ voce affirmant aquam cum vino in sanguinem converti. Secundò dici potest per vinum intelligi ea omnia, quæ concurrunt ad vinum usuale componendum, ex quibus vinum juxta communem hominum usum & acceptationem est aqua, juxta illud Sapientiæ nono, *Comeditis panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*; non tamen est necessarium ut singulæ partes sint vinum, sicut nec singulæ partes Chrismatis sunt Chrysmis, Balsamum enim Chrysmis non est, licet totum ex oleo & Balsamo resultans sit Chrysmis. Hoc etiam modo intelligendi sunt Patres, si qui dicant materiam consecrationis esse vinum; nec enim aliud vinum possunt requirere, quàm illud quòd consecravit ipse Christus, quod valde verisimile est, dum illud consecravit, fuisse aquâ mixtum.

Objicies sextò idem Concilium eodem loco dicens, ita panem converti in corpus, & vinum in sanguinem, ut tantum maneat species panis & vini, sed in nostrâ sententiâ manent etiam species aquæ; ergo contradicit Concilio. Respondetur, Concilium quando dicit manere tantum species panis & vini, solum vult, non manere illorum substantiam, sed tantum species, seu accidentia, ita ut ly tantum solum excludat substantiam panis & vini, non alias species. Et hoc modo ab omnibus explicari debet Concilium, nam certum est aliquando manere aliquid præter species panis & vini, ut cum consecratio immediatè sequitur mixtionem. Fortè tamen Concilium per vinum & species vini intelligit vinum mixtum, & usuale, cui aliquid aquæ solet admisceri.

Objicies septimò Concilium ibidem canone tertio, ubi definit sub singulis speciebus partibus separatione factâ manere totum Christum, ergo si separatim species aquæ adhuc sub illis manebit totus Christus; ergo & aqua sola est materia apta consecrationi. Quicquid sit de priori parte hujus objectionis, negatur ultima consequentia; sic enim licet anima separata retineat characterem Baptismi, aut Sacerdotii, quem habuit impresum dum erat unita corpori, non tamen sequitur posse illi, dum separata est à corpore, characterem imprimi: sic etiam licet aqua mixta vino sit materia consecrationis, non tamen sequitur esse materiam quando per se sumitur à vino separata.

Quoad primam verò partem objectionis Pater Coninck & alii putant mansurum Christum sub speciebus aquæ separatis, idque ob hanc auctoritatem Concilii. Alii tamen negant, quia aqua non est materia hujus Sacramenti nisi mixta vino: unde licet species aquæ hoc modo separatæ non corrumpantur substantialiter, corrumpuntur tamen in ratione materiz hujus Sacramenti, sicut licet vi ignis multum aquæ è farinâ exhaletur dum coquitur panis, multi tamen dicunt aliquid aquæ

VII. *Dicit: Concilium Tridentinum definire vinum converti in sanguinem, nullâ factâ mentione aquæ.*

VIII. *Dicit: asserere Concilium non conversionem non manere nisi species panis & vini.*

IX. *Objicet: Dicit Concilium Tridentinum, sub singulis speciebus partibus separatione factâ, manere totum Christum, ergo & sub speciebus aquæ.*

X. *Dicunt alii qui mansurum Christum sub speciebus aquæ separatis.*

aque in pane cocto manere, & consequenter sub speciebus aquæ illius manere corpus Christi. Inò affirmat Suarez, & alii plurimi, massam farinæ aquâ mixtæ necdum coctam, non differre specie substantiali à coctâ, & tamen si separaretur aqua illa à farinâ, non maneret sub illius speciebus Christus.

XI.
Ad locum Concilii numero nono citatum dico, loqui illic Concilium contra hæreticos dicentes totum Christum non esse sub singulis speciebus.

Ad Concilium dici potest loqui solùm contra hæreticos affirmantes eum qui alteram tantùm speciem sumeret, aut etiam minimam illius particulam, non tantum fumere quantum alter, qui utramque speciem sumit, contra quos definit Concilium sub singulis particulis separatis manere totum Christum, ita tamen ut maneat species panis & vini, quod non contingit, si aqua vel à farinâ, in pane, vel à vino in calice separatur. Loquitur etiam Concilium de separatione humano modo factâ, humano autem modo non potest fieri separatio, quin aquæ species semper maneat quicquid arte fieri posset in aliquo casu metaphyfico.

XII.
Dicit: Ergo si aliquid mellis, vel aliud hujusmodi esset mixtum vino, converteretur in sanguinem.

Objicies octavo, hinc sequi quidvis vel vinò vel panis admixtum, esse materiam consecrationis: unde si in calice esset aliquid mellis, aut aquæ rosacæ, vel aliud hujusmodi, consecraretur, & sub illius speciebus mixtis speciebus vini maneret Christus. Dicunt aliqui, non quamvis aquam, sed illam solam, quæ secundùm cæremoniam Ecclesiæ in altari miscetur vino, esse materiam consecrabilem: unde si mixtio aquæ fieret antea in dolio, non converteretur, inquit, aqua illa in sanguinem Christi, esto tempore consecrationis maneret in calice. Alii asserunt quicquid est liquidum in calice cum majori parte vini mixtum converti simul cum vino in sanguinem: ita expressè Alanus. Unde ait, si aliquid mellis, aquæ rosacæ, &c. esset in calice, convertendum in sanguinem.

XIII.
Probabilius videtur illud omne quod ad panem usuale, & vinum usuale consecrandum adhiberi solet, converteri in sanguinem, non alia.

Si tamen cuiquam prior modus respondendi nimis arctus videatur, & hic Alani nimis latus, mediâ viâ procedere poterit, & dicere illud omne quod solet ab hominibus passim adhiberi ad panem usualem consecrandum, & vinum usuale, esse materiam consecrationis, alia verò quæ vel consultò vel casu admiscerentur, non converti in corpus & sanguinem Christi, idque licet in tam parvâ parte admiscerantur, ut compositum ex illis possit simpliciter & absolute dici panis aut vinum. Unde in pane fermentato fermentum illi admixtum est materia consecrationis cum sit id quod per se ab hominibus admisceri solet ad panem usualem consecrandum. Quod etiam de aquâ quæ in exiguâ saltem quantitate in pane recenter cocto interdum manet, dicendum est: cum etiam ad vinum usuale admisceri ab hominibus soleat aqua, consequenter aqua illa est materia consecrationis. Panis itaque usualis est vel azymus vel fermentatus, ac proinde uterque est materia, licet non necessaria, at sufficiens hujus Sacramenti. Vinum etiam usuale est vel purum vel aquâ mixtum; sicque utrumque est materia sufficiens, neutrum materia necessaria.

XIV.
Mens S. Thomæ hæc in parte est incerta.

Quoad mentem Sancti Thomæ nonnulla dicta sunt supra: non ergo est dubium quin obscurius loquatur; in quarto enim, dist. undecimâ, art. quarto, in argumento *Sed contra* supponere videtur aquam ante consecrationem semper transmutari in vinum; quod etiam insinuare videtur tertiâ parte, quæ est septuagesimâ quartâ, articulo octavo. At verò quæ est septuagesimâ quartâ, art. sexto, in argumento *Sed contra*, & in cor-

pore docet ex Alexandro Papa in Epistolâ ad omnes orthodoxos, inter Missarum solemnias in calice Domini offerri (id est consecrari, ut supra vidimus ex Tridentino) non vinum tantum, nec aquam tantum, sed vinum aquâ permixtum. Deinde ad secundum dicit hanc esse aquam refectio- nis, quod tamen dici non posset, nisi sub illius speciebus esset sanguis Christi. Item articulo octavo ait nihil aquæ manere debere in calice post consecrationem; quia totum adorari non posset adoratione latræ: At certum est aliquando totam aquam non posse converti prius in vinum, ut eum immediatè ante consecrationem miscetur, ergo debet transire immediatè.

Quando ergo dicit Sanctus Thomas aquam prius converti debere in vinum quàm in sanguinem, intelligi potest de conversione quoad im- mutationem quandam, quæ vocari solet conversio humana, seu in ordine ad sensus hominum. Certè licet mens Sancti Thomæ sit hæc in parte aliquan- talum dubia, negari tamen non potest quin San- cti Patres clarius loquantur pro nostrâ sententiâ, quàm Sanctus Thomas pro contrariâ.

XV.
Quo modo explicari possit S. Thomæ, dum dicit aquam prius mutari in vinum.

SECTIO SEXTA.

De Præsentia, Quantitate, & Deter- minatione Materie.

QUO AD præsentiam materię, certum est de- bere esse moraliter præsentem: quando au- tem sit moraliter præsens, relinqui debet com- muni hominum judicio, nec certa aliqua regula assignari potest. Soto affirmat non esse dubium si sit intra decem passus, quin consecrari possit; si autem non sit intra centum, certum esse aut non posse. Debet ergo materia esse sensibilibiter præ- sens, non quidem ita ut sensu aliquo percipiatur, cum & cæcus consecrare, & hostiæ etiam in pixi- de clausâ consecrari possint, sed ita ut quantum est ex situ & distantia sensu percipi queat; hoc enim sufficit, ut verificari de eâ possit pronomen hoc, si tamen aliquam de eâ notitiam habeat.

I.
Certum est materiam esse debere moraliter præsentem.

Materia à tergo posita consecrari non potest, Sacerdote more consueto ad altare stante; nisi vel eam contingat, vel unam moraliter faciat cum materiâ ante oculos positâ. Nec consecrari pos- sunt hostiæ, inter quas & Sacerdotem paries est interjectus, aut sub niappâ altaris, cum non sint appositæ in aliquo ad eas continendas, & Sacer- doti ad hoc munus præsentandas destinato: in quo est differentia de hostiis aut vino in pixide aut ca- lice recto; quando enim hoc modo apponuntur, facile percipere possunt audientes, eum detali re loqui, non autem quando priori modo.

II.
Possitne ma- teria à tergo posita con- secrari.

Materia cujusvis magnitudinis consecrari non potest, ut affirmant omnes contra Vasquez, sed solùm pars, quæ est præsens sacrificanti, tota au- tem illa materia, si protenderetur ad aliquot mil- liaria non posset dici præsens, sicut modò non est nobis præsens totus aer usque ad cælum, vel sphæ- ram ignis, nec homini in litore ambulanti præ- sens est totum mare, alioqui dicere quis posset, partem illam terræ, quæ est apud Antipodas, esse nobis præsentem. Nullæ ergo partes sunt præ- sentes, nisi quæ sunt propinquæ.

III.
Moles cuius- cunque mag- nitudinis non potest consecrari, sed tantam partem qua censetur Sacerdoti propinqua.

Quoad parvitatem, nullâ pars tam parva est, in qua post consecrationem separatâ non maneat totus Christus, non tamen potest quævis minima particula

IV.
In quavis minima he- lia parti-

culâ post consecrationem separatâ manet totus Christus.

particula ante consecrationem separata consecrari. Prima pars probatur; tamdiu enim manet Christus sub speciebus illis, quamdiu sub illis maneret substantia panis, ac proinde in quavis parte quæ ante consecrationem, factâ divisione maneret panis, manet corpus Christi. Probabile tamen est, sicut in aliis mixtis datur minimum naturale, ita & in pane, ac proinde posse contingere, ut solâ divisione desinat corpus Christi esse sub minimis quibusdam particulis, imò verisimile est ipsas species in tam parvis partibus existeri incorruptas non posse.

V. Cur ante consecrationem quavis minima pars separata nequatur consecrari.

Secunda etiam pars probatur; si enim adeo parva sit particula, ut ab hominibus acutissimis sensus habentibus percipi non possit, non potest demonstrari per particulam *hoc*. Nec valet, non potest consecrari ejusmodi particula separata, ergo nec sub eâ in toto consecratâ post separationem Christi corpus conservari; sic enim, ut supra dixi, anima separata recipere characterem non potest, quem tamen in conjunctione cum corpore receptum, postea retinet, nec opus est ut per particulam demonstrativam conservetur ibi corpus Christi sicut ut primò ponatur: si tamen ex his minimis particulis discontinuis fieret cumulus, non apparet cur consecrari non possent.

VI. Sacerdos consecrans determinare sibi debet certam materiam.

Debet verò consecrans certam materiam determinare; si enim vagè feratur ejus intentio, nihil facit: unde si unam vel sex ex viginti hostiis propositis consecrare intendat, nullam aut nullas sex in particulari designando, nullam consecrat. Ratio est, quia intentio ministrî essentialiter requi-

ritur ad valorem Sacramenti, & sicut actio transiens non potest ferri nisi in materiam determinatam, ita nec cognitio practica eam dirigens, ut effectum fortiat.

Potest etiam Sacerdos mediam hostiam consecrare, si certam mediam partem designet. Optimum verò modus se habendi in consecratione est, ut intendat Sacerdos consecrare omnem materiam sibi in altari præsentem juxta morem Ecclesiæ, ut notant Auctores. Quoad calicem verò dicit Suarez optimum esse, ut intendat quis totum illum humorem consecrare, qui per modum unius continui ibi continetur. Addit tamen Coninck quæst. septuagesimâ quartâ, art. secundo, dub. tertio, num. quadragesimo tertio, expedire illas etiam guttas in intentione comprehendere, quæ proximè continuo liquori, calici intrinsicè adhaerent, ne agitatione calicis materia non consecrata miscetur consecratæ.

Reliqua quæ ad intentionem, & determinationem materiæ spectant, colligi possunt ex iis, quæ generatim de intentione ministrî ad consecrationem Sacramentorum necessariâ diximus supra de Sacramentis in genere, disp. sexagesimâ tertiâ, sect. tertiâ. Videatur Layman de Sacramento Eucharistiæ capite secundo, Toletus lib. secundo, capite vigesimo quinto, Suarez hic, disputatione quadragesimâ tertiâ, Vasquez disp. centesimâ septuagesimâ primâ, Valentia disputatione sextâ, quæstione secundâ, & alii, qui de his fusè tractant.

VII. Medium hostiæ partem consecrans potest Sacerdos, aliâ medietate non consecratâ.

VIII. Alia ad intentionem ministrî circa consecrationem Sacramentorum spectantia, tractata sunt supra, disp. 62.

